



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

Sánchez, Tomás

Coloniæ Agrippinæ, 1624

F.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41559

rimonium (si Papa dispensauerit) tenetur procurare dispensationem vtriusque expensis. *l. 5. disp. 5. nu. 36. & 37.* Tamen grauatius in legato, vel maioratu, vt ducat consanguineam, tenetur suis expensis dispensationem procurare, *ibid. nu. 21.*

5 Coniux conscius adulterij, non tenetur ministrare expensas, lite pendenti diuortij in foro conscientia: In foro tamen externo est cogendus, donec ad condemnationem, *lib. 10. disp. 8. nu. 28.*

F

Fideiussio.

1 Fideiussio vxoris, non seruatis iuris solennitatibus, non valet in conscientia: & si soluat, potest repetere. Idem dicendum de fideiussione mern reuerentiali viri facta. Vnde mulier promittens viro morti vicino, se solutam eius debita, non tenetur soluere, *l. 4. disp. 9. nu. 14. & 15.*

2 Fideiussor potest interuenire pro securitate matrimonij in sponsalibus, & tenetur ad interesse, non vero ad pœnam, & non obligatur ad plus, quàm principalis, *l. 1. disp. 38. num. 1.* Item fideiussor non obligatur, nisi principalis saltem naturaliter obligetur, *lib. 6. disp. 38. numer. 21.*

Filius.

1 Attento iure Casareo, filia sine consensu patris nubens non clandestinè indigno, non potest.

potest exheredari. At vt possit exheredari, requiruntur tres conditiones. Prima, vt patētes vellent eam matrimonio coniungere, & dotem secundum vires suas tradere. Secunda, vt filia illi matrimonio repugnet, & simul vitam luxuriosè eligat. Tertia, vt sit minor 25. annis. Et semper præsumendum est, parentes velle virum, & dotem competentem filiaē dare. Et non sufficit, si filia semel, aut bis furtim faciat copiam sui corporis, *libr. 4. disp. 24. à nu. 1. usque ad 6.* Item non potest exheredari filius contrahens sine consensu patris, luxuriosè que viuens, *nu. 11.* Secus dicendum de filia nubente mancipio, inuitis parentibus, licet sit maior 25. annis *nu. 10. ibi.*

2. Pater luxuriosè viuens, filiam eodē modo viuentem potest exheredare: mater autem meretrix non, nisi sit correcta tempore, quo testamentum scribebat, *libr. 4. disputat. 24. nu. 7. & 8.*

3. Attento iure Regni Castellæ, filia nubens sine consensu parentum, non potest exheredari, excepto vno casu, v. g. quando filia contrahit sponsalia, vel matrimonium cum famulo patris habitante in domo. *l. 4. disp. 24. à nu. 14. usque ad 16.*

4. Attento iure canonico, leges permittentes exheredari filias non clam contrahentes sine consensu parentum sunt omnino correctæ, nisi sit lex, vt possit exheredari filia absq; consilio patris nubens, *l. 4. tota disp. 15.*

5. Filius

5 Filius validè ducit vxorem contra parentum voluntatem. Nec potest cogi metu cadenti in virum constantem. Secus de increpatione paterna. Imo peccat pater absque iusta causa impediens matrimonium. Secus, si ad sit iusta causa, & impediatur medijs suatibus. Tamen impediens iniuste non incurrit excommunicationem in Trid. Sess. 24. cap. 29. de matrim. latam, l. 4. tota disp. 22.

6 Filius regulariter non tenetur implere sponsalia, quæ absque suo consensu pater promissit. At tenetur sub mortali, quando multò interest parentũ, casu quo eligat matrimoniũ inire, nisi iusta causa ductus resistat tali matrimonio: & obligatur, non tam ex paterno præcepto, quam ex virtute pietatis obligantis filium, libr. 4. disputation. 23. à numero. 1. usque ad 7.

7 Filius absque iusta causa iniens matrimonium, inscijs parentibus, tenetur sub culpa lethali consilium parentum circa matrimonium petere, non tamen illud sequi, & postea illis reuertibus potest licitè contrahere, nisi ratione scandali, libr. 4. disp. 23. à num. 8. usque ad 12.

8 Filius qui metu reuerentiali paterno vel materno, promissit patri se soluturum eius debita, vel legata, non tenetur soluere. Secus si promissit absque illo metu. At potest, si est minor 25. annis, petere restitutionem in integrum, l. 4. dis. 9. nu. 16.

9 Filius

9 Filius familias sine patris licentia, aut minor sine auctoritate curatoris, non obligatur naturaliter ex contractu inuito, pecunia credita, nec talis contractus firmatur iuramento. Manebit tamen obligatus fideiussor, si existat, *l. 6. disp. 38. nu. 29.*

10 Filius familias pubes potest inconsulto patre contrahere, & ex omni contractu absque licentia patris inuito obligatur naturaliter, ac civiliter, ac si esset pater familias; nisi in mutuo & in voto. Vnde non potest pater amovere filium familias puberem obligantem se ad certo tempore ministrandam alicui, nec potest cogere, ut sibi ministret. Tenebitur tamen filius lege pietatis, quando valde inops esset. Non tamen tenebitur cum illo habitare, nec pater potest illum volentem recedere impedire. Imò filius, inuito patre, potest se vendere, non tamen potest filius familias contrahere circa adventitia, quorum pater habet usufructum, vel eorum proprietatem alienare, vel hypothecam subicere, licentia patris minime requisita. Item pater potest irritare vota realia filij familias, in quacumque ætate emissam, siue ante, siue post 25. annos, quia filius familias non eximitur ratione ætatis, *l. 6. disp. 39 à nu. 1. vsque ad 10.*

11 Filij nati ex coniugibus simplici castitatis voto ligatis mutuo consensu, nullo modo sunt illegitimi. Idem dicendum de filijs conceptis post matrimonium consummatum, vno con-

coninge, altero ignaro, aut sciente, contradicenteque proficiente, & mox habente copulã. Secus si profiteatur ante consummatum matrimonium. Item erit proles legitima, si profiteatur post matrimonium consummatum nõ contradicente altero, sed tacenti. Idem dicendum de filijs habitis post legitimam promotionem ad ordines sacros, *l. 9. disp. 38. à num. 3. usque ad 7.*

12 Filius sequitur conditionem patris quoad honores, & nobilitatem. Et habitus ex nobili & ancilla, si postea manumittatur, nobilis est, *l. 7. disp. 24. à n. 1. usque ad 4.*

13 Filius quoad seruitutem sequitur conditionem matris, sed sufficit, vt filius sit liber, quod tempore conceptionis, aut natiuitatis, aut medio tempore mater libera sit, quando ex vi natalium, & status matris, est futura solus libera, aut seruituti subdita. Secus quando non iure sequelæ status materni, futurum est, vt fœtus sit seruus, vt filij nati ex seruis publicis operib. deputatis, qui se priuatarũ ancillarum consortijs adiunxerunt. Idẽ de filijs natis ex patre reuocato in seruitutem propter ingritudinẽ. Idem dicendũ de filio nato ex matre prægnanti iure belli capta, non obstante libertate matris tempore conceptionis. Et in his tribus casibus sequitur filius quoad seruitutem, conditionem patris, *l. 7. disp. 24. à num. 5. usque ad 13.*

14 Filij concepti post seruitutem, eò quod
mater

mater ob necessitatem à patre vendita est, sunt serui. Secus si tempore venditionis esset pregnantis. Item si communis ancilla duorum, aut plurium dominorum, ab aliquo illorum manumittatur, post eam manumissionem, antequam solvatur pretium alteri domino partis, quam habebat in ancilla, pariat, proles erit seruituti subdita. Item proles est serua orta ex ancilla statu libera, v.g. si post annum, aut si hoc euenerit, esto libera, si ante illius temporis, aut conditionis aduentum pariat. Secus dicendum de filijs ortis ex ancilla, cui tradita est libertas pro tempore certo, licet nascantur ante illud, vel post illud tempus. Est enim libertas illa perpetua. At filij orti ex ancilla, cui dominus promisit manumissionem certo tempore, si post illud tempus concepti, aut orti sint, sunt serui, tenetur tamen dominus ratione damni emergentis ex fidei violatione, donare libertate illos filios, *lib. 7. disp. 24. à n. 15. usq; in finem.*

15 Filij non educandi sunt apud matrem secundò nubentem. Requiritur tamen iudicis sententia, vt mater priuetur educatione filij. Et concurrentibus paribus qualitatibus in matre, & cognatis pretendentibus educationem, præferenda est mater. Pater tamen nunquam priuatur educatione, *lib. 7. disp. 88. à num. 16. usq; ad 21.*

16 Filius genitus, aut natus post dispensationem à parentibus obtentam ad ineundum inter

inter se matrimonium, est naturalis, legitima-
tur tamen per sequens matrimonium, *l. 8. disp. 7*
num. 19.

17 Filius natus ex matrimonio irrito con-
tracto bonâ alterius parentis fide, est legiti-
mus quoad utrumque parentem, & utriusque
succedit, parenstamen malæ fidei non est le-
gitimus apud ipsum, & tantum succedit filio,
sicut pater spurius succedit, *lib. 8. disp. 34. nu-*
mer. 46.

18 Filij nati ex concubitu contra sponsa-
lia, vel votum, dicuntur naturales, *lib. 1. disp. 2.*
num. 8.

19 Filij prioris matrimonij tenetur mulier
secundo nubens reservare, quæ à priori matri-
monio titulo lucratiuo habuit, non autem quæ
oneroso, illique æqualiter succedunt. Nec po-
test aliquem ex illis meliorare; nec hoc est
correctum iure canonico, *lib. 6. disputat. 41.*
num. 1.

Forus.

1 Forus conscientiæ, & externus idem ser-
uat, ubi non est falsa præsumptio, nec lex est
pœnalis, *lib. 1. disp. 5. nu. 20.*

2 Forus internus fidem adhibet testanti pro
se, & contra se, non autem externus, *lib. 2. disp.*
45. num. 2.

3 Leges fori non obligant, nisi probeur ea-
rum usus, *l. 6. disp. 1. nu. 5.*

4 Obligatio naturalis, quæ oritur ex vin-
culo legis naturalis obligat in foro conscien-
tiæ,

tię, licet ius ciuile non concedat actionem. Secus dicendum de obligatione naturali orta ex honestatis, & gratitudinis debito, *lib. 1. disp. 7. nu. 15.*

5 Famulus non perens salarium triennio, non amittit illud in foro conscientię, *l. 7. disp. 37. nu. 17.*

G

Græcus.

1 Græcis nunquam licuit, nec Latinis matrimonium inire post sacrum ordinem, & Græcus sacris initiatus, non potest mortuę vxore aliam ducere, *lib. 7. disputat. 28. numm. 3. & 4.*

2 Differentia inter Græcos, & Latinos in sacris ordinibus constitutos, hæc est, vt Græcis liceat post coniugium ad sacros ordines transire, & vti matrimonio antea contracto absque peccato, dempto tempore, quo altaris ministerio deseruire, vel consuetudine, vel lege debent, quod Latinis est interdictum, *l. 7. disp. 28. nu. 5. & 6.*

Gratia.

1 Gratia, vt valeat, vel quæuis dispositio non desideratur scriptura, nisi lex eam petat, *l. 3. disp. 35. n. 10.* Nec expirat ante reuocationem, *l. 3. disp. 30. nu. 11.*

2 Gratia non prodest, donec veniat in notitiam eius, cui conceditur, licet concedatur per modum statuti, & constitutionis. Satis ta-

men